

fere aequat, et longe igitur ab anterioribus spiraculis distantia, non multo ante medium abdominis sita. *Mamillae* semi-annulo duriusculo communi infra vel antice (non supra) cinguntur; inferiores earum sat magnae sunt, art. 1.^o paene duplo longiore quam latiore, basi intus paullo incrassato; reliquae mamillae, praesertim mediae, iis non parum minores sunt.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum* scutaque *abdominis*, cum semi-annulo illo circum mamillas, rufo-ferruginea sunt, partes molles abdominis testaceo-cinerascentes; *partes oris* testaceo-ferrugineae, *palpi* ferrugineo-testacei, *pedes* ferrugineo-testacei quoque, basin versus magis ferruginei.

Lg. corp. paullo plus $2\frac{1}{2}$, lg. cephaloth. paene 1, lat. ej. circa $\frac{2}{3}$, lat. front. paene $\frac{1}{3}$; lg. abd. $1\frac{1}{2}$, lat. ej. 1 millim. Ped. I saltem $2\frac{3}{4}$, II $2\frac{3}{4}$, III circa $2\frac{1}{2}$, IV 3 millim. longi; pat. + tib. I circa $\frac{2}{3}$, pat. + tib. IV parum plus 1, metat. + tars. I circa 1 millim.

Feminam supra descriptam ad Ajer Mancior Sumatrae cepit Cel. Beccari; aliam feminam, cujus patria ignota est, dono mihi dedit Cel. Van Hasselt. — Generis *Xestaspidis*, Sim., cujus typus est *Oonops loricatus*, L. Koch (1), ex ins. Upolu, haud dubie est haec nostra aranea.

TERRITELARIAE (2).

Fam. THERAPHOSIDAE.

Gen. *Selenocosmia*, Auss., 1871.

166. *S. Javanensis* (Walck.), *nigra, nigro-fusca vel fusca (mandibulis pedibusque certo modo visis albicantem colorem sentientibus); fovea cephalothoracis centrali fortiter procurva; cephalothorace in femina saltem $\frac{1}{4}$ longiore quam latiore, pedibus 4.ⁱ paris in eu*

(1) Die Arachn. Austral., p. 449, Tab. XXV, figg. 3-34.

(2) *Territelariarum* saltem in his 5 familiis dividendas jam censeo:

1. *Liphistioidae*, Thor.

2. *Theraphosoidae*, Thor. (= *Theraphosinae*, Auss., ad partem: *Dionychi*).

3. *Ctenzoidae*, n. (= *Theraphosinae*, Auss., ad partem: *Trionychi*).

4. *Eriodontoidae*, n. (= *Eriodontinae*, Auss.).

5. *Calommatoidae*, n. (= *Atypidae*, Bertk.).

De *Liphistio*, Schiöde, vid. sup., p. 27 et seq.

plerumque paullo longioribus quam sunt pedes 1.ⁱ paris, in mare hos pedes longitudine non aequantibus; metatarsis saltem posterioribus apice, inferius, aculeis ternis parvis armatis, reliquis pedum internodiis inermibus, scopulis tarsorum 4.ⁱ paris divisis. ♂ ♀ ad Long. ♂ circa $4\frac{1}{2}$, ♀ 48-52 millim.

Forma principalis *nigra vel nigro-fusca, minus robusta, tibia 4.ⁱ paris, e. gr., in femina circiter $3\frac{3}{4}$ longiore quam latiore.*

Syn.: 1837. *Mygale javanensis*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., I, p. 216.

1839. » *monstrosa*, C. L. Koch, Die Arachn., V, p. 14, Tab. CXLVII, fig. 346.

1850. *Eurypelma monstrosa*, id., Uebers. d. Arachn.-Syst., 5, p. 73.

1857. *Mygale javanensis*, Dol., Bijdr., cet., loc. cit., p. 406.

1859. » » , id., Tweede Bijdr., cet., loc. cit., p. 4, Tab. X, fig. 2.

1871. *Selenocosmia Javanensis*, Auss., Beitr. z. Kenntn. d. Arachn.-fam. d. Territelariae, in Verhandl. d. zool. bot. Gesellsch. in Wien, XXI (1871), p. 204 (89).

Var. β, Sumatрана, *fusca vel ferrugineo-fusca, robustior: tibia 4.ⁱ paris modo $3\frac{1}{2}$ longiore quam latiore* (♀).

In apice metatarsorum saltem 4 posteriorum aculei terni breves adsunt, quorum duo laterales faciles visu sunt, inferior vero in femina parum eminent; metatarsi anteriores, vel saltem 1.ⁱ paris, modo aculeum minutum singulum habere videntur, in medio apicis subter situm et pilis scopulae tectum; reliqua internodia aculeis carent. In pedibus 4.ⁱ paris non tantum scopula metatarsi (quae ab apice circiter ad medium ejus pertinet).

De gen. *Mecicobothrio*, Holmb., quod typum familiae propriae facit Cel. Holmberg, vid. hujus scriptoris Observations à propos du sous-ordre des Araignées Territelariées, cet., in Boletín de la Acad. Nacional de Ciencias en Córdoba (República Argentina), IV (1881), p. 160 (8) et seq., Pl. I, figg. 1-11; et Simon, Note sur le groupe des Mecicobothria, in Bull. de la Soc. Zool. de France, IX (1884), p. 313 (1) et seq.

Catadysas pumilus, Hentz (Fam. *Catadysoidae*, Thor.), quam araneam « all the essential characters of *Mygale* » habere dixit Hentz, quamquam modo duae sacculae tracheales (« pulmonales ») habet et reliquis quoque notis necessariis a « *Mygale* » (Territelariis) diversa videtur, hujus Tribus certe non est, sed verammodo generis *Zorac*, C. L. Koch, vel saltem huic generi proximus: Conf. Holmberg, loc. cit., p. 153 (1), et Bertkau, Versuch einer natürlichen Anordnung d. Spinnen, in Archiv f. Naturgesch., Jahrg. XLIV (1878), p. 361. — Omnes adhuc cognitae Territelariarum species quattuor sacculos « pulmonales » habent; unguis earum mandibularis in plano verticali, cum axi corporis longitudinali parallelo, movetur, ideoque quiescens retro directus est; mamillae superiores vel posteriores ex 3-4 (vel pluribus) articularis sunt compositae.

verum etiam scopula tarsi ordine (vel fascia angusta) longitudinali setarum dividitur, sed in tarso hic ordo *non* usque ad apicem internodii pertinet; in mare magis obsoletus est. *Mamillae* superiores in femina metatarsis 4.ⁱ paris circiter dimidio breviores sunt (non, ut dicit Ausserer loc. cit., totum metatarsum longitudine aequantes; conf. descriptionem et figuram C. L. Kochii supra cit., quae figura bona est). — Pars palporum tarsalis in *mare*, oblique desuper et a latere interiore visa, apice late et valde oblique truncata est, apice in medio impresso, ita ut bis rotundatus evadat; in latere interiore pars tarsalis non vel parum, in exteriori vero latere multo longior est quam latior. Bulbus sub-compressus, a latere interiore visus circa dimidio latior quam longior et paene rectangulus, angulis tamen et lateribus duobus brevioribus fortiter rotundatis, laevis, nitidissimus et convexus; extus et supra impressione lata pallidior quasi in duos dividitur; angulus inferior-posterior lateris exterioris bulbi in spinam sat fortem, in apicem longum gracilem productam, extus et foras directam et leviter sursum curvatam excurrit, quae ipso bulbo non parum longior est.

♀. — Lg. corp. (sine mandib. et mamill.) 50; lg. cephaloth. 24 1/2, lat. ej. 19, lat. clyp. 12 1/2; lg. abd. 25, lat. ej. 15 millim. Ped. I 71 1/2, II 62, III 57, IV 75 (tibia 14 2/3, metat. 17 1/2) millim. longi; pat. + tib. IV 23 1/2 millim. Mandib. 12 millim. longae; palpi 43 1/3, mamillae sup. 9 1/2 millim.

♂. — Lg. corp. 41 1/2; lg. cephaloth. 22, lat. ej. 18 1/2, lat. clyp. 10 2/3; lg. abd. 19, lat. ej. 12 1/2 millim. Ped. I 82 1/2, II 70, III 59 1/2, IV 80 1/2 (tibia 16, metat. 20 1/3) millim. longi; pat. + tib. IV 24 1/2 millim. Mandib. 10 1/2 millim. longae; palpi 48 1/2, mamillae sup. 8 1/4 millim.

Ab omnibus scriptoribus, ad quos lectorem supra, in synonymis, revocavi, Java hujus speciei patria dicitur; secundum Doleschall etiam in Celebes (ad Menado) capta est. — *Formae principalis* (cujus mensuras supra dedi) exempla pauca, inter ea masculum singulum, possideo, ab amico Van Hasselt dono mihi data et verisimiliter in Java collecta. Cel. Beccari duas feminas Var. β in monte Singalang Sumatrae cepit. Exempla Sumatrana (Var. β)

paullo clariora et robustiora sunt quam illa formae principalis, quae ad me misit Cel. Van Hasselt, praesertim mandibulis, palpis pedibusque evidenter robustioribus: quum in exemplis formae principalis e. gr. tibia 4.ⁱ paris circa 3 3/4 longior quam latior sit, in exemplis ex Sumatra modo 3 1/2 longior est quam latior: in his area oculorum paullo latior postice quam antice mihi videtur, in exemplis a Van Hasselt mecum communicatis plane rectangula est area oculorum. (Haec omnia de *feminis*). Praeterea nullam differentiam inter formam principalem et Var. β, *Sumatranam*, video.

« *Mygale javanensis* fem. juv. », Dol. (Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., Tab. III, fig. 5), aliam speciem facile crediderim: vid. *Aviculariam Holmbergii*, n., infra, p. 399.

Mygale javanensis, C. L. Koch (Die Arachn., IX, p. 89, Tab. CCCXIX, fig. 747), mas *Theraphosae Blondii* (Latr.) haud dubie est, cujus araneae patria America meridionalis est, non Java.

167. *S. Doriae*, n., *ferrugineo-fusca*, *cephalothorace* circa 1/5 longiore quam latiore, *fovea centrali* parum procurva, *paene recta*; *pedibus robustissimis*, *pedibus* 4.ⁱ *paris* *pedes* 1.ⁱ *paris* *longitudine non superantibus*; *tibiis et metatarsis apice, inferius, aculeis* 1-3 *parvis armatis*; *scopulis tarsorum* 4.ⁱ *paris integris, non divisis*. — ♀ ad. *Long. circa* 57 1/2 *millim.*

FEMINA. — Feminae prioris, *S. Javanensis*, simillima est, sed eo facile dignoscenda, quod latior et robustior est, fovea ordinaria centrali modo levissime procurva, scopula tarsorum 4.ⁱ paris *non* divisa, et non tantum metatarsis, verum etiam tibiis apice aculeatis, *cet.* — *Cephalothorax* aequae fere longus ac tibia, metatarsus et tarsus pedum 3.ⁱⁱ paris conjunctim, circa 1/5 longior quam latior (in *S. Javanensi* saltem 1/4 longior est quam latior), in lateribus sat leviter rotundatus, anteriora versus, ante pedes 1.ⁱ paris, paullo citius quam posteriora versus sensim angustatus; antice late truncatus est vel modo levissime rotundatus, postice etiam paullo latius truncatus et in medio paullo emarginatus; clypei latitudo 2/3 latitudinis partis thoracicae paene aequat.

Minus altus anterieus quam in priore specie videtur cephalothorax (in exemplo nostro hic tamen paullo est vitiatu), impressionibus cephalicis et radiis utrinque distinctis; sulcus ordinarius centralis transversus fortissimus est, sed parum procurvus, paene rectus: paene duplo longius a margine antico cephalothoracis quam a postico distat (in *S. Javanensi* plus duplo longius a margine antico quam a postico). Area *oculorum* paene triplo latior est quam longior, non latior postice quam antice. Spatium inter oculos medios anticos eorum dimidiam diametrum aequat; oculi bini laterales spatio inter se distant, quod eorum diametrum breviorum vix vel non aequat (in *S. Javanensi* hoc spatium diametrum breviorum oculi lateralis saltem postici non parum superat). *Sternum* circa $\frac{1}{5}$ longius quam latius (non parum longius quam in *S. Javanensi*), foveis duabus sat parvis posterioribus. *Mandibulae* fortissimae, plus duplo longiores quam latiores basi, desuper visae. *Maxillae* apice intus in angulum longum et fortem productae, duplo longiores quam latiores basi. *Labium* modo paullo latius quam longius, apice (minus late quam in *S. Javanensi*) truncatum. *Palpi* extensi ad apicem tibiae I.ⁱ paris pertinent. *Pedes* valde robusti, I.ⁱ paris paullo longiores quam pedes 4.ⁱ paris; patellae lineas binas longitudinales calvas supra ostendunt, quarum exterior lata est et, in pedibus posterioribus, obliqua; femora anteriora in latere exteriori, femora posteriora in latere interiori lineam vel fasciam longitudinalem sub-obliquam calvam habent: etiam in tibiis (et in metatarsis et tarsis saltem anterioribus) duae lineae minus densae pilosae supra adsunt. Tibia 4.ⁱ paris circa $\frac{3}{4}$ metatarsi ejusdem paris longitudine aequat. Metatarsi saltem posteriores 3 aculeos minutos apice habent, metatarsi anteriores 1 vel 2 aculeos ibidem; tibiae quoque apice 2 vel 3 aculeis ejusmodi armatae sunt. Scopulae latae, omnes (excepta scopula metatarsi 4.ⁱ paris, quae modo $\frac{1}{3}$ internodii occupat) indivisae; scopula metatarsi 3.^{ae} paris non usque ad basin internodii pertinet. *Abdomen* sub-ovatum. *Mamillae* superiores vix $\frac{2}{3}$ metatarsi 4.ⁱ paris longitudine aequant, mamillis inferioribus fere 5.plo longiores.

Color. — Totum paene animal supra pilis brevibus densissimis

ferrugineo-fuscis vestitum est, aliisque longioribus praesertim ad marginem cephalothoracis et magis versus apicem pedum paullo hirsutum. *Sternum* et coxae obscurius fusca sunt, *maxillae* piccae, intus (ut sulcus unguicularis mandibularum) rufo-ciliatae; venter fuligineo-fuscus. Scopulae testaceo- vel ferrugineo-cinerascentes, in spiritu vini immersae aeneum vel viridem colorem sentientes.

Lg. corp. 57 $\frac{1}{2}$; lg. cephaloth. 27 $\frac{1}{2}$, lat. ej. 22 $\frac{3}{4}$, lat. clyp. 14; lg. abd. 30, lat. ej. 20 millim. Ped. I paene 80, II 72, III 61, IV circa 77 (tibia 14 $\frac{1}{3}$, metat. 17) millim. longi; pat. + tib. IV 23 $\frac{1}{2}$ millim. Mandib. paene 13 millim. longae; palpi 50, mamillae sup. 9 $\frac{1}{2}$ millim.

Feminam singulam vidi, in Borneo ad Sarawak a Doria et Beccari captam.

Gen. **Avicularia** (LAM.), 1818.

†. **A. Holmbergii**, n., fuligineo- vel ferrugineo-fusca, subter nigra, pilis longis sub-ferrugineis hirsuta; cephalothorace in ♀ tibiam cum patella 1.ⁱ paris, in ♂ vero tibiam cum $\frac{2}{3}$ patellae hujus paris longitudine aequanti; fovea centrali forti, parum recurva, paene recta; diametro oculorum mediorum anticorum (qui spatio diametrum suam superanti disjuncti sunt) diametrum majorem lateralium anticorum aequanti, vix superanti; pedibus 4.ⁱ paris cephalothorace in ♀ circa $3\frac{3}{7}$, in mare circa $3\frac{5}{6}$ longioribus; mamillis superioribus in ♂ tarso 4.ⁱ paris paullo brevioribus, in ♀ hunc tarsum longitudine saltem aequantibus. — ♂ ♀ ad. Long. ♂ circa 31, ♀ circa 41 millim.

Syn. ? 1859. *Mygale javanensis*, Dol., Tweede Bijdr., cet., loc. cit. (ad partem: « fem. juven. »), Tab. III, fig. 5.

FEMINA. — Cephalothorax paullo longior quam latior, aequae circiter longus ac tibia cum patella 1.ⁱ paris, in lateribus partis thoracicae sat fortiter et aequaliter rotundatus, lateribus partis cephalicae modo leviter rotundatis anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, postice latius quam antice truncatus et, in medio, paullo emarginatus; latitudo clypei (cujus anguli valde oblique truncati sunt et leviter rotundati) — vel potius latitudo

communis mandibularum ad basin — dimidiam latitudinem partis thoracicae aequat. Humilis est cephalothorax, dorso partis thoracicae a margine postico sensim paullo assurgenti, parte cephalica a latere visa paullo altiore quam est pars thoracica, librata et levissime convexa; transversim pars cephalica sat fortiter convexa est. Impressiones cephalicae et radii impressi valde distincti; fovea ordinaria centralis profunda, recta (saltem non procurva), aream oculorum latitudine vix vel non aequans, plus dimidio longius a margine cephalothoracis antico quam a postico remota. Tuberculum oculorum modice altum, postice valde praeruptum. Area *oculorum* paene triplo latior quam longior; desuper visae oculorum series eadem longitudine sunt, antica sat fortiter procurva, postica paullo recurva; a fronte visa series antica fortiter deorsum curvata est: linea recta oculos medios anticos infra tangens laterales anticos non tangit. Oculi medii antici, parum ante medium areae oculorum siti, rotundi sunt, reliqui oblongi; diameter oculorum mediorum anticorum diametrum majorem lateralium anticorum vix vel non superat; laterales postici lateralibus anticis circiter dimidio sunt minores, sed plus duplo, fere triplo majores quam medii postici, qui minuti sunt. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum non parum superat, et paullo majus quoque est quam spatium, quo a lateralibus posticis distant; a lateralibus anticis intervallo sunt remoti, quod diametrum oculi (medii antici) parum superat. Spatium inter oculos binos laterales diametrum majorem oculi lateralis postici circiter aequat. Oculi medii postici spatio modo minuto, eorum diametrum brevior non superanti, a lateralibus posticis sejuncti sunt, paullulo longius a mediis anticis quam ab iis remoti. *Sternum* circa $\frac{1}{7}$ longius quam latius, antice late truncatum et in medio paullo emarginatum, primum lateribus leviter rotundatis posteriora versus paullulo dilatatum, dein apicem breviter acuminatum versus cito angustatum. *Mandibulae* sat debiles (cephalothorace fere 4. plo angustiores), paullo plus duplo longiores quam latiores, formâ ordinariâ, inermes, dorso fortiter convexo. *Maxillae* paene duplo longiores quam latiores basi, apice lateris interioris angulum parvum prominentem formanti. *Labium* par-

vum, non parum latius basi quam longius, apicem sat late truncatum et paullo granulosum versus sensim angustatum. *Palpi* extensi ad apicem tibiae 1.^a paris pertinent; lineis binis parallelis clarioribus magis calvis et sat distinctis supra in partibus patellari et tibiali aliaque in parte femorali notantur. *Pedes* modice robusti, non longi, aculeis carentes; femora anteriora extus, posteriora intus lineam longitudinalem clariorem calvam ostendunt, patellae (et tibiae) binas ejusmodi lineas supra. Scopulae densae et latae, in metatarsis 4 anterioribus completae, in posterioribus metatarsis abbreviatae; scopula metatarsi 4.^a paris brevissima fasciâ setarum ad longitudinem persecta est, scopulae tarsorum omnium vero integerrimae, apice truncatae, lateribus parallelis. Unguiculi tarsorum bini mutici fasciculis unguicularibus densissimis absconditi sunt. *Abdomen* ovatum. *Mamillae* superiores tarsos 4.^a paris longitudine aequant vel paullo superant, inferioribus mamillis circa 4. plo longiores; sat robustae sunt, articulo 1.^o non parum longiore quam latiore, art. 2.^o non vel modo paullo longiore quam latiore, art. 3.^o $2\frac{1}{2}$ –3. plo longiore quam latiore. — Pilis brevibus densis tota tecta est aranea, aliisque longis patentibus hirsuta, praesertim in extremitatibus et in abdomine, sterno et coxis subter pilis brevioribus vestitis.

Color. — Totum corpus supra fuligineo-fuscum est, pilis brevioribus fuscis vel cinereo-fuscis, pilis longis ferrugineo-vel fuligineo-fuscis, his pilis in pedibus interdum apice cinerascens, in lateribus abdominis albicantem colorem sentientibus. *Mandibulae* in fundo nigricantes, *maxillae* nigro piceae, intus (ut sulcus unguicularis) rufo-ciliatae. Subter pedes fuliginei sunt, coxae, *sternum*, *venter* et *mamillae* fuligineo nigra vel nigra, scopulae sordide luteo cinereae.

Max. a femina, praeter palpis, clypeo angustiore, mandibulis minoribus (praesertim angustioribus) et in dorso parum convexis, ut et pedibus longioribus et gracilioribus praecipue differt; tibia 4.^a paris, quae in femina non 4. plo longior est quam latior, in mare fere $5\frac{1}{2}$ longior quam latior est. *Cephalothorax* tibiam cum $\frac{2}{3}$ patellae 1.^a paris longitudine aequat. Tibiae 1.^a paris

apice subter procurso forti obtuso dense piloso fere in semicirculum sursum curvato armatae sunt. Scopulae tarsorum posteriorum a basi ad apicem sensim paullo dilatatae. *Abdomen* inverse sub-ovatum, antice truncatum. *Labium* apice latius truncatum quam in femina videtur; *sternum* breviter et inverse ovatum est, antice truncatum. (Palpi in nostro exemplo mutilati sunt). — Ad *colorem* paullo obscurior quam femina est mas, in fundo nigropiceus, subter niger, abdomine supra fuligineo-nigro.

♀. — Lg. corp. 41; lg. cephaloth. 17 $\frac{1}{2}$, lat. ej. 16 $\frac{1}{3}$, lat. clyp. 9; lg. abd. 22 $\frac{3}{4}$, lat. ej. 17 $\frac{1}{2}$ millim. Ped. I 50, II 48, III 46, IV 60 (tibia 12, metat. 12 $\frac{1}{2}$) millim. longi; pat. + tib. IV 19 millim. Mandib. 9 $\frac{3}{4}$, palpi 34, mamillae sup. 8 $\frac{1}{2}$ millim.

♂. — Lg. corp. 31; lg. cephaloth. 15, lat. ej. paullo plus 14, lat. clyp. circa 6; lg. abd. 16 $\frac{1}{4}$, lat. ej. 11 millim. Ped. I 55 $\frac{3}{4}$, II 52, III 46 $\frac{3}{4}$, IV 57 $\frac{1}{2}$ (tib. 13, metat. 14 $\frac{1}{4}$) millim. longi; pat. + tib. IV 19 $\frac{3}{4}$ millim. Mandib. 7 (palpi?), mamillae sup. 6 millim.

Feminas duas maremque singulum (palpis mutilatis) possideo, a Cel. Van Hasselt dono mihi datos, quorum patria incerta est. Si in Java vitam degit haec aranea, quod esse quidem potest, figura illa, quam « *Mygalem javanensem*, fem. juven. » repraesentare credidit Doleschall, ad hanc nostram *Aviculariam Holmbergii* sine dubio est referenda.

Fam. CTENIZOIDAE.

Gen. *Conothele*, Thor., 1878.

168. *C. Cambridgei*, n., cephalothorace, palpis pedibusque testaceopiceis; serie oculorum postica desuper visa recta; pedibus 2.ⁱ paris pedes 3.ⁱⁱ paris longitudine vix vel non aequantibus; abdomine supra nigro, granulis piliferis vel setiferis, in medio anterioribus majoribus, spurso. — ♀ jun. (?) Long. saltem 15 millim.

FEMINA. — *C. Doleschallii*, Thor. (1), et praesertim *C. Malayana*

(1) Vid. haec Stud., III, p. 236.

nae (Dol.), Thor. (1), simillima est, serie oculorum postica desuper visa *recta*, non procurva, et pedibus 2.ⁱ paris 3.ⁱⁱ paris pedes longitudine *non* superantibus tamen facile ab iis dignoscenda. — *Cephalothorax* paene $\frac{1}{3}$ longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, paullo longior quam latior, utrinque, ad palpos, vix vel parum sinuatus, lateribus fortiter, ample et satis aequaliter rotundatis posteriora versus paullo fortius et citius quam anteriora versus sensim angustatus, postice leviter emarginatus; clypeus paene truncatus, dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superans. In medio valde altus est cephalothorax, a medio undique declivis; dorsum ejus, a latere visum, a margine postico ad foveam centram secundum lineam rectam fortiter assurgit, dein brevissimo spatio (intra foveam illam) arcuato-convexum etiam fortius assurgit, tum rursus levius assurgens et parum convexum est, a loco summo convexo (posterior in parte cephalica sito) secundum lineam rectam usque ad tuberculum oculorum modice proclive, et hic serie media longitudinali setarum fortium 4, ut et utrinque seta forti (aliisque gracilibus), munitus; clypeus quoque in medio setis paucis instructus est. Praeterea paene glaber est cephalothorax, laevis, nitidus, impressionibus cephalicis brevissimis, in medio inter partes cephalicam et thoracicam situs. Tuberculum oculorum sat altum est, a latere visum breviter pyramidatum. Fovea centralis, sulcum fortissime procurvum formans, duplo longius a margine cephalothoracis antico quam a postico remota est. Area *oculorum* rectangula, plus duplo latior quam longior (in *C. Malayana* parum plus dimidio latior est quam longior); series oculorum antica a fronte visa adeo fortiter deorsum est curvata, ut linea recta oculos ejus laterales supra tangens medios vix tangat; series postica desuper visa plane recta est (in *C. Malayana* sat fortiter recurva). Area oculorum mediorum paullulo latior est antice quam longior, et multo (plus dimidio, et plus diametro oculi medii antici) latior postice quam antice. Oculi medii antici rotundi, reliqui oblongi; diameter longior oculorum lateralium anticorum diametro me-

(1) Doleschall, Tweede Bijdr., *cet.*, p. 5, Tab. VI, figg. 8-8c.; Thorell, Studi, *cet.*, II, p. 304.